

FELICITER!

CAPUT I.

DE

*Iis, quæ ad nomen, ac delineationem BARO-
SCOPIORUM generalem pertinent.*

§. I.



Niter varia, eaqve stupenda rerum
technasmata, in quibus ingeniosè
parandis desudârunt hæctenus Physi-
corum Scholæ, non parum eminent
inventa, constitutionem non minus,
quam utilitatem AERIS haud sine ob-
lectatione declarantia; Ex quorum
numero, alia præter, BAROSCO-
PIA cum sint, excogitata & delinea-
ta curiosorum naturæ scrutatorum studio, ceu *instrumenta*,
*quæis explorari exactissimè ejusdem (AERIS) gravitas & levitas
possit*, nequaquam nos lufuros operam esse arbitrati sumus, si
de iis impræsentiarum nonnulla in medium produceremus.

§. II. Suggestit ipsum nomen confestim suppeditatam
mox sub initium descriptionem, cum *Baroscopium* pariter,
& quod idem est *Barometrum*, origine voces Græcæ, Latinâ
verò civitate, (sicut multæ aliæ, quæ *μετρήσει* Græcæ, *χρήσει* ve-
rò Latinæ fiunt) donatæ, denotent sive speculationem, (nam
σκοπέειν est speculari) sive mensuram, (nam *μετρέειν* est metiri,)
ponderis (quod *βάρος* significat) aërei, simulqve finem &
usum præcipuum ob oculos ponant.

§. III. Tendunt eòdem etiam alia nomina, utpote
Libra seu *Bilanx Naturalis*, uti vocatur à *Georgio Sinclaro*,
quondam in Universit. Glasguensi Prof. Philos. in Arte No-